

15. *Hincmarus Remensis imputavit Presbyteris, quod laici meliores non presentarent.*
 16. *Quomodo idem hodie multis Ecclesiasticis imputari possit.*
 17. *Prelati Ecclesiarum, quomodo suo Exemplo Patronos incitare ad presentandum meliores debeant.*

I.



Acceptiorem personarum in distributione beneficiorum seu honorum Ecclesiasticorum non leve esse peccatum, jam pridem credit S. Augustinus *Epist. 172. num. 18.* "Nec sane, quantum arbitror (ait) putandum est leve esse peccatum in personarum acceptiorem habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad se, dem honoris Ecclesie, contempto paupere instructione, re atque sanctiore."

II. Hic Augustinum loqui de dignitatibus & ministeriis Ecclesiasticis; atque acceptiorem personarum in horum distributione non esse leve peccatum, post S. Thomam 2. 2. *quest. 63. art. 2.* in argumento *Sed contra*, tradunt uno consensu Theologi; asseritque post Sotum Gabriel Vasquez tractatu *De Benef. cap. 2. §. 3. dub. 8.* quod in Episcopatibus & beneficiis curam animarum habentibus annexam, semper sit eligendus dignior sub culpa *mortali*: additque: "In hoc nullus dubitat, quoniam est injustitia in re gravi: ideoque necessitudo erit *mortale*."

III. Quin & ipse Vasquez credit, quod in omnibus beneficiis sit *mortale digniore* prætermittere: quia & hic est *gravis* materia. "Omnia enim ista beneficia (inquit) ut bona communia distribuenda pro meritis sunt in Christiana Republica, præcipue præstima illa, quæ instituta sunt ad alendos ministros Ecclesie, qui eligendi sunt, ut digniores esse, aut fore speratur Ecclesie."

Citat in eandem sententiam Covarruviam in *relezione Capituli peccatum §. 7. num. 5.* ubi docet, quod "si Fundator beneficii ad beneficium vocaverit ex certa familia, & plures sint capaces ex illa familia, tunc Patronus sub *mortalis* culpæ reatu, inspectâ materiâ, subjectâ, tenebitur digniore Episcopo exhibere."

IV. Verum quia teste Augustino *lib. 21. De Civit. Dei cap. 27.* quæ sunt peccata mortifera, quæ venialia, difficillimum est invenire, periculosissimum definire: & ut ait in *Enchiridio c. 77.* quæ sint mortifera, quæ venialia peccata, quæ levia, quæ gravia; non humano, sed divino sunt pensanda iudicio, ideo nolo hic determinare, quando nam præcisè in acceptiorem personarum sit peccatum *mortale*, quando *veniale*; id mihi sufficit, numquam sine culpa, eaque non *levi*, in hac materia esse acceptiorem personarum.

V. Porro gravitas acceptiorem personarum sive violationis justitiæ distributiæ in hac materia ex duobus potissimum ponderanda videtur: nimirum ex multis gravibusque Ecclesie bonis, quæ per promotionem minus digni contempto digniore impediuntur; deinde ex malis, quæ per digniorem, non verò per minus dignum impediuntur.

Ad bona quod attinet, omnia illa censentur impediuntur per acceptiorem personarum, quæ in functione talis Ministerii Ecclesiastici dignior præ minus digno procurasset.

Mala verò Ecclesie, quæ peccatum acceptiorem personarum augent, sunt ea omnia, quæ dignior postpositus, præ minus digno impedire potuisset.

Hinc facile est intelligere, quàm enorme ac perniciosum possit esse hoc acceptiorem personarum crimen.

VI. Quid enim, si ad Episcopatum minus dignus præ

digniore eligatur? Quàm multa sapè animarum lucra, quotque Diocesis, imò interdum totius Ecclesie bona spiritualia impediuntur, quæ dignior præ minus digno in sua Diocesi procurasset: imò in reliquis nonnumquam Dioceses & Provincias distulisset? Quàm multa rursus mala impedire, quot abusus extirpare doctrinâ & pietate eminentior potuisset, quæ alius dotibus illis destitutus, impedire aut extirpare vel non potuit vel non voluit.

VII. Similiter quantum ad reformationem Cleri & populi, ad extirpationem vitiorum, & virtutum omnium augmentum, ipsarumque animarum salutem promovendam nonnumquam valeat Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Plebanus, Pastor aliusque animarum director eruditione morumque integritate excellens, præ alio qui eruditione morumque integritate est inferior, nullus est qui non intelligat, & quotidianâ experientiâ est planissimum. Quis enim non quotidie experitur, quantum, vel unus interdum, in dignitate, aut notabili aliqua Ecclesiastica functione constitutus, per eminentem suam scientiam, fundatissimamque pietatem, fructum in messe Dominica faciat, præ multis aliis scientiâ & eruditione inferioribus?

VIII. Quinimò non ratò sit, ut etiam inferiori Ministerio aut functioni Ecclesiasticæ applicatus, in pietate atque scientia exercitatorum exemplo, tum oratione tum etiam instructione, plurima bona fidei populo, præ minus exercitato sit procuraturus, aut mala impediturus: ut consequenter nec leve futurum sit peccatum in simili provisione accipere personam, id est, ex privato affectu minus dignum digniori præponere.

IX. Divinitus dictum est olim à Sancto quodam Pontifice: *Estimet quis pretium Domini gregis, ut sciat quod meritis constituendi deceat esse Pastorem* Dioco quoque, *estimet quis pretium Domini gregis*, id est, salutem animarum, ut sciat quam grave sit peccatum accipere personas in collatione beneficiorum: ex quo contingit impediti quò minus Dominico gregi ea omnia bona, quæ dignior impendere potuisset, frequenter non impendantur; aut mala per digniorem avertenda, sæpius non avertantur.

X. Ex quibus concluditur, admodum esse verendum, ne quod Synodus Tridentina de concurrentibus ad promotionem Episcoporum affirmat, id coram summo animarum Pastore gregis sui pretium in veritate æstimante, in collatoribus quorumcumque beneficiorum, præsertim tamen curatorum, locum habeat: nimirum, *post alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præcisè diligenter curaverint.*

XI. Facile quoque ex hæcenus dictis est intelligere, quod promoventes minus dignum neglecto digniore, non tantum rei constituentur graves delicti; sed etiam ipsi Ecclesie, cujus in distributione beneficiorum constituti sunt ministri, ob infidelem dispensationem teneantur ad restitutionem bonorum, præcipue spiritualium, quæ per promotionem dignissimi (quam Ecclesie ut fideles Ministri debebant) procurata fuissent: adeoque Patronis ac Collatoribus, qui hac in parte infideles fuerunt, incumbat, quantum in ipsis est, bona spiritualia illi Ecclesie, cui, minus dignum Ministerium dando, illa quasi abstulerunt, omni meliori modo procurare; atque ita justitiæ violatæ satisfacere.

XII. Ex his facile intelligitur, qui oculos spirituales habent, ut videant, jus patronatûs, aut jus collationis aut jus electionis ad Dignitates Ecclesiasticas, non tam esse reputandum tamquam aliquid multum appetibile; sed potius ut onus humeris suis impositum.

XIII. Ne-

XIII. Neque mirabitur, qui obligationem & pericula Patronorum & Collatorum expendit, si plures hoc onus exhorruerint, & à se adicere studuerint.

Quomodo Valentinianus Imperator; item Ludovicus VI. & Ludovicus IX. Reges Galliarum hanc Provinciam recusaverint, & horruerint ob pericula illi annexa, notavimus supra *parce 1. tit. 13. cap. 5.*

Intelligebat indubie hoc onus Catharina Regina Portugallie de qua in vita Bartholomæi de Martyribus *lib. 2. cap. 12.* refertur dictum: "Quod optaret ut durante suo regimine Prelati Portugallie essent immortales: quod fieret ut nullum ad Episcopatum promovere teneretur: dicens, sibi plus quam satis esse, si pro se ipsa & toto suo regno deberet respondere, licet se responsalem non constitueret pro salute animarum."

XIV. Sed quid mirum, si Reges aut Principes, aliive fideles laici onus illud reformidarint; cum & ipse Gregorius M. Summus Pontifex, ad eam lamine charitatis, & celestis sapientiæ illustratus, interrogatus à Clero Mediolanensi de persona in Episcopatum eligenda responderit, se quidem contra personam illam nihil respondendum habere: "verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, inquit, ad suscipienda Pastoralis curæ meæ onera, pro nullius unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram, ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper præcius, talem vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua & moribus exhortationis divinæ pascua valeatis invenire: in cuius jus mente & humilitas cum certitudine fulgeat, & se veritas cum pietate; qui vobis viam vitæ non solum legendo vel loquendo, sed etiam vivendo possit ostendere; quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare."

Utinam hanc Sanctissimi Pontificis humilem deliberationem ritè expendere plures Ecclesiastici & laici,

qui quantumvis longissime à capacitate S. Gregorii in discernendis conditionibus personarum, quæ ad functiones Ecclesiasticas obeundas exiguntur, distent, a vide tamen promotioni personarum ad Ecclesiasticas dignitates se immiscerent.

XV. Olim Presbyteris suis improbrat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quòd ipsi, sollicitando Patronos, quin & xenia eis offerendo, in causâ essent, quòd meliores & digniores Clerici non presentarentur: "Quia quique fideles (ait) si vestra culpa non esset, plus quærent bonos Clericos, quàm vestros denarios: & hoc non suffertis: sed vos & vestros nutritos in malè ditionem mittitis, cum dato Patronis præmio, vobis & illis peccatum emittis." Habetur *tom. 8. Concil. general. col. 581.*

XVI. Si hodiernas Clericorum pro beneficiis sollicitationes & cursitationes attendamus, & quomodo etiam ipsi Ecclesiastici, non pro dignioribus, sed suis consanguineis & familiaribus apud Patronos insistent, non sine fundamento judicare poterimus, quòd frequenter ipsis Ecclesiasticis sit imputandum, quòd Patroni digniores non presentent; nec veras de beneficiis Ecclesiasticis ideas concipiant: dum ea ab ipsis Ecclesiasticis ita ambiunt vident.

XVII. Si ipsi quoque Episcopi alique Ecclesiarum Prelati in collatione beneficiorum ostenderent suo exemplo, nihil carni aut sanguini vel favori vel amicitie tribuendum, sed sola merita esse attendenda, indubie multum moverent Patronos, ut & ipsi in sua presentatione attenderent sola merita, & digniores presentarent: ubi è contrario dum vident Prelatos ipsos beneficia pro affectu privato potius, quàm pro meritis distribuere, quid mirum, si ipsi eorum exempla imitentur, & de beneficiis non secundum merita, sed pro affectu disponant?

TITULUS XXXII. De Peculio Clericorum.

CAPUT I.

Quid Peculium Clericorum; & quid nomine Peculii veniat; & quod jus Clericis competat?

1. Sub titulo *Decretalium De Peculio Clericorum* nulla sit mentio Peculii.
2. Quando nam Proventibus Ecclesiasticis nomen Peculii inditur; & quare?
3. Peculium Clericorum admodum simile Peculio servorum, & profectio filiorum familias.
4. Clericus per Beneficium subicitur & adstringitur Ecclesie exemplo servi ad Dominum; & filius ad patrem.
5. Qua de causa servo Peculium concessum; & in quo Peculium consistat.
6. Quid Peculium profectivum filius familias?
7. Peculium non est nisi petendum Domini vel patris.
8. Beneficium dicitur patrimonium servi; & quare?
9. Dominum Peculii semper manet apud Dominum; ut & profectio apud patrem: & quidquid ex illo acquiritur, Domino vel patri acquiritur.
10. Hac ostendunt titulum *Decretalium non male inscribi de Peculio Clericorum.*
11. Refertur textus prima *Decretalis* hujus tituli.
12. Unde desumpta?
13. Auctor hujus *Decretalis* reflexit ad Canonem 49. Conc. Carthag. lll. cujus verba referuntur. Van Espen *jur. Eccl. P. II.*

14. Ex eodem *Canone desumpta* apparet 3. *Decretalis* hujus tituli.
15. *Decretales* volunt inquiri, num Clericus ante Ordinationem nihil habuerit, & quare ratio inquisitionis?
16. Juxta *Canones* quidquid acquiritur ex proventibus Ecclesiasticis, cedit Ecclesie.
17. Hinc Peculium Clericorum simile Peculio servi, & profectio filius familias.
18. Dominium Peculii Clericorum manet apud Ecclesiam, sicut Peculii servi apud Dominum.
19. Ad supponunt *Canones* qui dicunt, res comparatas ex proventibus Ecclesiasticis competere Ecclesie.
20. Clericos non esse dominos proventuum Ecclesiasticorum in *Canonibus* clare expressum.
21. Rectè dicuntur esse Peculium Clericorum, licet non habeant dominium.
22. Tempore Augustini, Episcopi credebantur Domini bonorum Ecclesiasticorum, quamvis tantum essent administratores.
23. Qua ratione dici possint Clerici hodie esse Domini proventuum Ecclesiasticorum, & illos itos facere?
24. Ad Peculium Clericorum referendum quidquid contemplatione Ecclesie ipsis obvenit.
25. Non tantum quæ ex fructibus Beneficiorum.
26. Etiam honoraria pro celebrandis *Missis*, habendis concionibus &c.
27. Ostendunt etiam hac inveni Ecclesia percipi.
28. Nequeunt hac ab aliis Ecclesiasticis proventibus separari.

29. *Quod Clericus parcius vivendo sibi subtraxit, eamdem cum reliquis provenibus Ecclesiasticis naturam retinet.*
30. *Bona patrimonialia & quasi patrimonialia ad Peculium propriè non spectant.*
31. *Quaratione castrense vel quasi castrense Peculium dicitur queant.*
32. *Bona patrimonialia Clerici desiciente omni legitimo heredè deferuntur Ecclesie excludo Esco; & quare?*
33. *Clerici in dispositione bonorum patrimonialium debent attendere quod sint Clerici.*

I. *Titulus 25. libri 3. Decretalium inscribitur: De Peculo Clericorum, quamvis in Decretalibus sive Canonibus, qui sub illo titulo referuntur, nomen peculii non occurrat; sed id unum fere caveatur, ut si quæ post ordinationem ex rebus Ecclesie vel occasione Ecclesie Clericis obveniant, vel Clerici acquisiverint, ac Ecclesiam, tamquam res ad Ecclesias pertinentes, revertantur.*

II. Admodum verisimile est, rebus Ecclesie quæ Clericis ad usum conceduntur, nomen *peculii* inditum fuisse, postquam facta beneficiorum erectione, ipsa bona Ecclesie quasi in quasdam portiones, singulis titulis annexas, dividi, & à communi massa bonorum Ecclesie separari cœperunt: atque tum demum hoc nomen iis inditum fuisse exemplo *peculii*, quo Romani significabant omne id, quod *servus Domini* permissu separatum à rationibus dominicis habet. L. 5. ff. De Peculo.

III. Si enim ea, quæ de peculo servorum & filiorum familias jam pridem edixerunt Romani, conferantur cum iis quæ in Canonibus sub hoc titulo relatis dicuntur de rebus Clericorum ab Ecclesia profectis, apparebit, non inmerito *peculii* nomen his inditum fuisse.

IV. Imprimis, quemadmodum jure Romanorum servus est in potestate Domini, & filius familias in potestate Patris; ita Clericus Ecclesie adscriptus in potestatem & servitutum quodammodo Ecclesie transit, eique ut Domino & Patri servire & obedire speciali titulo & vinculo adstringitur.

V. Ut verò servus Domino servire possit, imò ad serviendum alacrius & utilius incitaretur, ei nonnumquam Dominus pusillam pecuniam, qua liberè uteretur, concedebat; quod à pecunia *peculium* dicebatur. *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum*, ait Jurisconsultus in L. 5. §. 3. ff. De Peculo.

Addidit autem ibidem ex Tubertone, quod *servus DOMINI* permissu separatum à rationibus Dominicis habet.

VI. Simile est *peculium* filii familias, nimirum pusillum patrimonium quod filiusfamilii permissu patris separatum à rationibus patris familias habet: scilicet ex rebus ipsius patris, aut quod saltem patris contemplatione & occasione obvenit: diciturque hodie *peculium profectivum*; & propriè peculii rationem habet.

VII. Dicitur Domini permissu: nam ut Pomponius ait in L. 4. ff. De Peculo, "*Peculii est, non id, cujus servus seorsum à Domino rationem habuerit, sed quod Dominus ipse separaverit, summa servi rationem discernens: ut vel ut alia & melior lectio habet: Suum à servi ratione discernens.*" Idem est de peculo profectivo filii familias.

VIII. *Peculium* autem frequenter in Legibus Romanorum vocatur pusillum *patrimonium* servi, non quod ejus verum dominium aut proprietatis esset servus; qui jure Romano domini & proprietatis erat incapax; sed quia peculii usus & libera administratio, permissu Domini est apud servum L. 48. ff. eod. atque ob hanc libertam peculii administrationem & usum, dicitur pe-

culium etiam proprium patrimonium servi L. 39. ff. eod. imò quasi LIBERI hominis patrimonium L. 47. §. 6. ff. eod.

IX. Nihilominus *peculium* servi, ita manet apud Dominum, ut non tantum pro voluntate Domini id servo adimi & minui possit L. 4. ff. eod. sed etiam, quidquid ex peculo aut re peculiari acquirat, id totum Domino cedat; ipsumque *peculium*, & quidquid in peculo reperitur, ad Dominum ipso jure, servo moriente, revertatur, seu potius Domini maneat. §. 3. Instit. Per quas personas cuique acquiritur, & ibi uno consensu notant Interpretes: observantque primitus apud Romanos idem jus fuisse respectu filii familias: ut is omnia similiter Patri, sicut servus Domino acquireret, nullà factâ peculii distinctione. Et licet postea variis Imperatorum sanctionibus filii familias plenius jus quoad *peculium* castrense, quasi castrense & adventitium concessum sit; nihil tamen quoad *profectivum* mutatum esse monent; sed illud dominotenus apud Patrem manere; & quidquid filius ex illo acquirat, Patri cedere, & pleno jure ad Patrem reverti L. 6. Cod. De Bonis quæ liberis &c.

X. Hæc si conferantur cum his quæ de rebus Ecclesie Clericis in usum concessis dicuntur in Canonibus sub hoc titulo Decretalium relatis, apparebit, non immerito titulum hunc inscribi De *Peculo Clericorum*: hocque *peculium* apprimè convenire cum peculo *servorum & profectivum* filiorum familias.

XI. In Cap. 1. §. De Peculo Clericorum legitur: "*Investigandum est, si nihil patrimonii habens Presbyter, quando promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, postea (vel ut alia lectio habet, Si postea) emerit prædia, cujus juris sint: quoniam Ecclesie ad quam nihil habens promotus est, esse debent juxta Canoniam auctoritatem.*"

XII. Citatus hic Canon in Decretalibus Gregorii IX. ex Concilio Arelatensi. In prima verò Decretalium collectione apud Antonium Augustinum ex Concilio Lateranensi Burchardus autem & Ivo Carnotensis citant ex Concilio Remensi. In Romana editione Corporis Canonici adjicitur hæc notula Antonii Augustini: "*In Concilio editis nondum inveni. Admodum verisimile est, de sumptu esse ex Capitulis Hincmari Remensis, de quibus Magistri vel Decani per singulas Ecclesias inquirere & Episcopo rennuntiare debeant, ubi n. 18. relata verba hujus Decretalis penè ad verbum expressa sunt. Habentur hæc Capitula Hincmari tomo 8. Concil. general. col. 573.*"

XIII. Quisquis hujus Decretalis auctor fuerit, non obsecutum est, cum per finalem clausulam juxta Canoniam auctoritatem reflexisse ad Canonem 49. Concilii Carthaginensis III. apud Gratian. Caus. 1. 2. q. 3. Can. 1. "*Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant; tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesie eadem ipsa contulerint.*"

XIV. Ex hoc eodem Canone videtur desumptum Capitulum tertium ejusdem tituli De *Peculo Clericorum*, uti indicat nota marginalis Antonii Augustini. In hoc Capitulo statuitur: "*ut unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis acquirerit, propriæ Ecclesie relinquat.*"

XV. Ut quid autem tam sollicitè inquiri jubetur, an promotus ad Ordinem, ante suam promotionem nihil habuerit? Ratio indicatur in Rubrica primæ Decretalis: "*Quæsum à Rectore Ecclesie tempore promotionis nihil habente, presamitur de bonis Ecclesie acquisitum.*"

XVI. Si autem quæsum sit ex bonis Ecclesie juxta Canoniam auctoritatem debet cedere Ecclesie; quod frequenter in Canonibus renovatum fuit: quos Canones citat & refert Emanuel Gonzales ad Cap. 1. §. De Peculo Clericorum.

XVII. Interim hinc duo sunt concludenda. Primum, quod *peculium* Clericorum in hoc sit simile peculo *servi & profectivo* filii familias quod sicuti acquisita ex peculo servi & profectivo filii familias cedunt Domino aut patri, ita quoque acquisita ex peculo Clericorum cedant Ecclesie juxta Canoniam auctoritatem: quamvis exterior disciplina, postremis his seculis circa acquisita ex peculo Clericorum nonnihil sit immutata, uti infra notabitur.

XVIII. Ex primo sequitur secundum, in quo *peculium* Clericorum simile apparet peculo *servi*, & profectivo filii familias; nimirum, quod proprietatis seu dominium peculii maneat apud Ecclesiam, quemadmodum proprietatis peculii *servi* aut filii familias penes Dominum vel patrem. Nam si penes Clericum esset dominium, etiam res comparatæ ex peculo, sive proventus Ecclesiasticis etiam deberent esse ipsius Clerici; utpote quæ essent acquisitæ, non ex rebus ad Ecclesiam; sed ad ipsum Clericum spectantibus.

XIX. Unde ad Cap. 2. §. De Peculo Clericorum dicere non dubitavit Panormitanus num. 4. "*Item nota, quod Prælati non est Dominus fructuum beneficiorum: Nam si efficeretur Dominus, possit sibi acquirere ex rebus secundum habitum, cujus contrarium hic deciditur & in Cap. INQUIRENDUM §. eod. Hæc ille, qui & ad Rubricam num. 43. monuerat, quod Clericus non faciat fructus suos: ideoque peculium Clericorum possit spectari profectivum, & iudicari debere ut profectivum.*"

XX. Et revera, Clericos non esse veros dominos sui peculii sive proventuum Ecclesiasticorum, ad eò evidentè in Sacris Canonibus est expressum, ut nullus antiquorum Canonistarum de hoc dubitare videatur; imò Archidiaconus famosus admodum Canonum interpret scribere non est veritus in Cap. STATUTUM §. ASSESSOREM De Rescriptis in 6. esse hæresim in Jure Canonico, aliter, Clericos Beneficia Ecclesiastica obtinentes, proventuum Ecclesiasticorum esse Dominos: quam sententiam post Martinum Navarrum multis asseruit Paulus Comitulus, qui ait: "*Tantummodò à recentis memoris hominibus addubitari cœptum, quod ab antiquis magistris & melioribus auctoribus superioris, atque adeò nostræ ætatis in controversiam numquam revocatum est: numquid, quibus Ecclesiastica Sacerdotia Beneficiave mandata sunt, sint bonorum, fructuumque omnium, qui ex iis percipiuntur, veri Domini.*" Resp. moral. lib. 1. q. 70.

XXI. Quamvis verò Clericus proventuum Ecclesiasticorum ad suum usum concessorum non sit verus Dominus, nihil tamen obstat quo minus reditus Ecclesiastici, præsertim postquam per erectionem beneficiorum singulis titulis quedam portio bonorum annexa fuit, *peculium* Clericorum vocentur, ad exemplum peculii servorum & filiorum familias. Imò nec obstat quo minus illud ipsum *peculium* Clerici dicatur proprium patrimonium Clerici, atque Clericum facere fructus suos; tamen si revera eorum Dominus non sit: eadem ratione, qua *peculium* servi (qui cerò illius Dominus non est) dicitur proprium patrimonium servi; propter nimirum libertam peculii illius administrationem, & usum, quam ex voluntate Domini servus habet.

XXII. Unde jam pridem Augustinus fatebatur, quod ipse alique Episcopi putarentur habere dominium rerum Ecclesiasticarum, tamen nisi procuratorem earum se habere contestaretur. "*Ego secundum multorum sensum (ait Episc. 126.) comparantium semet ipsis, non divitias dimisit, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima partícula res mea paternæ existimari potest, in comparatione prædiorum Ecclesie, quæ nunc ut Dominus existimor possidere.... Nos rebus Ecclesie dominari existimamur nos opibus*

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

XVII.

frui, Deus testis est, istam omnem rerum Ecclesiasticarum procuratorem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem quam debeo charitati fratrum & timori Dei tolerare me, non amare: ita ut ea, si salvo officio possim, carere desiderem.

XXIII. Cum autem juxta hodiernam disciplinam, non minus plenam administrationem, nec minus liberum usum habeat quilibet Beneficiatus respectu portionis bonorum suo titulo annexæ, quam olim habebant Episcopi circa prædia & bona Ecclesie suæ, non mirum, si & beneficiatus proventuum Ecclesiasticorum Dominus credatur, & vulgari modo loquendi habere dominium, vel fructus suos facere dicatur, tamen procuratorem dumtaxat revera obtineat; eò quod tam liberatorum dispensationem, etiam cum facultate suis iudicibus applicandi adipiscatur, ut soli Deo rationem dispensationis reddere obstrictus sit.

XXIV. Sicuti ad *peculium profectivum* filii familias non tantum spectat, quod ex re aut substantia patris, sed & omne quod patris contemplatione & occasione filio obvenit, uti communiter docent Juris consulti ad §. 1. Instit. Per quas personas cuique acquiruntur, & ibi novissimè Arnoldus Vinnius num. 3. ita quoque ex *peculo* Clericorum jam descriptum pertinere dicendum est, non tantum quod ex rebus Ecclesie beneficio annexis percipit; sed omne quod contemplatione Ecclesie sive ex functione Ecclesiastica & Clericali obvenit: quod & Pontifex non obscurè expressit in Cap. 9. §. De Testamentis, ubi respondit, "*quod Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de officio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervertunt ad ipsos, liberè disponente valeant. De his tamen, quæ consideratione Ecclesie perciperunt, nullum de jure possunt facere Testamentum.*"

Ut ergo inter bona Ecclesiastica, de quibus Clerici de jure testari nequeunt, aliquid referatur, juxta responsum Pontificis sufficit, si *consideratione Ecclesie* obvenit.

XXV. Ad quæ verba reflectens Boetius Episcopus apud Duacenses olim Canonum Antecessor Primarius inferit: "*Ergo non tantum quæ per Ecclesiam (id est ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum, sic enim locutio hæc per Ecclesiam à plerisque sumitur) sed & quæcumque Clericatus occasione Clericus acquirat, in ea cautum est, ut de iis testari nequeat: ut si quid tamquam Sacellanus alicujus Nobilis acquirat.*"

XXVI. Idem Auctor jam ante ostenderat ad Cap. 1. §. De Testamentis num. 79. quàm ineptum sit quorundam recentiorum Canonistarum gloriolam prætensionem, nequaquam bonis Ecclesiasticis, sed quasi patrimonialibus annueranda esse, quæ Clerici accipiunt pro statis officiis quoties sunt pro personali opera, absque ulla perpetua vel annua dote quæ detur in titulum beneficium; sive, ut loquitur Andreas Vallensis in Paratilis ad Titulum De Peculo Clericorum num. 2. quæ "*Clerici acquirunt ratione Clericali Ordinis vel officii, sed alià ratione quàm beneficii, veluti celebrando, concionando, canendo, confessiones aadiendo, Vicariæ temporalis deferendo, aut alias similes actiones spirituales exercendo.*"

XXVII. Conantur, inquit Boetius Episcopus n. 80. "*Mul-*

Stt 3 aliunde